QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVI. MENSIS NOVEMBRIS MAGISTRO BARTHOLOMÆO BARALIS DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An fluenti aluo vacuatio?

INTESTINVM conficiendo & absoluendo chylo, fæcibúsque deturbandis à natura comparatum multis & diris symptomatis exercetur. Dolore colico narcoticis nunquam sedando, & eo qui colicum ex mesenterij sensu exquisito similitudine quâdam ementitur, deiectione tardâ & pigrâ, ileo, cœliacâ, lienteriâ, dysenteriâ, diarrhœâ, tenesmo, cruento & purulento profluuio. Sed alui profluentis varietas & ab excremento, crudo aqueo humente subalbido, nigro & subcruento, purulento: & ab humore puriore atque naturali: & à cibo inalterato præ ventriculi debilitate, calidis siccis adstringentibus non semper oppugnanda, chylóue minimè distributo: & à ventris rugitu, murmure, manifesto torminum, dolorisúe sensu, aut eorum carentiâ definitur. In ventrem seruile membrum totius corporis impuritas expurganda etiam periodicè confluit. Vix tamen crediderim è purulentis pulmonibus per alterutrum cordis ventriculum in intestina sincerum pus deriuari.

DIARRHOEA sine vehementi doloris sensu sinceriores humores excernuntur. Pituita crassa & mucosa ex intestinis crassioribus defluit: tenuis & spumosa è capite in ventriculum, inque intestina prolabitur, (vt non sit mirum balbis præ humidiore cerebri temperie familiarem esse diarrhœam:) dulcis & diluta ab vniuerso corporis habitu, quæ proinde leucophlegmatiam ὕδερον facilè dissoluit. Bilis à iecore & cysti fellis. Melancholicus succus à liene & mesenterio. Sed & συώτηξις τῶν ἐντέρων fæces habet quasi adipe vel oleo perfusas, pinguedine. s. carnéue, aut etiam solidarum partium substantia morbo aliquo liquescente.

SED PROFLVENTE aluo nulla vtilis euacuatio, non phlebotomia, non catharsis; ne si duplex humoris detractio vno eodemque tempore fiat, vires insigniter offendantur. Cumque magna præsidia virium robur expostulent, tum phlebotomia (catharsi cæteroqui leuior atque securior) maius requirit: quia non tantum noxium, sed etiam vtilem humorem, vitæ fundamentum, naturæ thesaurum, spirituumque omnium materiam educit. Itaque assiduâ egestione, perpetuis vigilijs, febre plerumque & inflammatione laborantibus maximè viribus omittendum vacuandi sanguinis consilium est. Nam si cuipiam sanguinem auferre confert, ventrem confirmare & adstringere prius necesse est, deinde auferre, & inediam præscribere & vinum tollere: demum congruenti victu & fotibus humidis reliquam curationem absoluere.

NEQVE noxia quæ post celebratam venæ sectionem, si fortè vtriusque præsidij par incidit necessitas, vsurpari debet purgatio. Quippe in alui fluxu cathartica medicamenta prohibentur, quòd quâ pollent partium tenuitate & acrimoniâ & caliditate & intestina rodere, & febrile incendium adaugere & nouam ad affectum locum materiam trahere valeant. Vt contrà vomitus, qui vel naturæ sponte, vel medici artificio excitatur, profluentem aluum mirificè desiccat & adstringit. Quid quòd ipse alui fluor, tametsi naturæ magisterio, nec vi morbi oboriatur, mitisque sit, doloris expers ac torminum, corpus semper imbecillius efficit, vitali (quæ remedium sola indicat) facultate adducta in discrimen. vnde fit vt in alui profluuijs præ vehementi virium imbecillitate pulsus vermium gressui similes, parui, languidi, tardi, frequentes conspiciantur.

QVID si natura segniùs humorem infestum eliminat, nonne purgante pharmaco, pro humoris, quem similitudine substantiæ, (quæ verè occulta est, inexplicabilis & specifica proprietas) cum delectu attrahit, naturâ, quantitate, qualitate, foco atque origine selecto, aut sanguinis missione conatus eius adiuuari debet? minimè verò. Quod ipsum per se semper sufficiat alui profluuium, nullâ aliâ adiectâ vacuatione, tametsi plethoræ humorum minimè respondere videatur. Quicumque enim ab ijs tanquam maiore egentibus inanitione vel sanguinem ducere, vel ventrem mouere ausi sunt, malis ægrum auxere grauissimis. Vsurpari tamen commodè possunt quæ adstringendo purgant citra erosionis aut influxus noui metum, quæ non morbi principio, sed exhaustâ cacochymiâ fluxum compescant: myrobalanos. p. absynthium, rha-barbarum, quod torrefactum acrius atque nocentius. (Vstione qualitas mordax atque ἐμπύρευμα medicamento comparatur.) Robur interim mittenti & admittenti parti præsidijs peculiari dote quamque partem iuuantibus conciliandum. Sic adstrictione blandâ & virium conseruatione pristinus naturæ status restituetur.

Non ergo fluenti aluo vacuatio.

Proponebat IACOBVS COVSINOT Parisinus Schol. Archi. Anno R.S. MDCXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Bartholomæus Baralis præses.	*M. Gaspar Bray M.R.*	*M. Gabriel Biart.*
M. Guillelmus du Val P.R.	*M. Nicolaus Heault.*	*M. Ioannes Desgorris M.R.*
M. Ioannes Akakia.	*M. Philibertus Guybert.*	*M. Renatus Chartier M. & P.R.*